

non est subiectum psychologicum sed est subiectum mere ontologicum seu substantia prima inconscia.

Hoc argumentum evolvitur inde a pagina 250, circa medium, ubi distinguitur inter conscientiam-experientiam et conscientiam-perceptionem.

Intentum^t proponitur, p. 250, linea 30 s: '.. if consciousness is conceived as an experience there is a psychological subject, while if consciousness is conceived as the perception of an object there is no psychological subject.

Minor probatur quod^a principium, p. 251, 'Still, it may..'

Applicationes huius principii habentur, p. 251, 'Thus, to illustrate..' et p. 252, 'My difficulty, then,..', per totas has alineas.

De sensu verborum.

Sensus verborum non est: aliud esse substantiam primam et aliud esse subiectum psychologicum; immediate per conscientiam non innotescit nisi subiectum psychologicum; nisi mediate non innotescit substantia prima.

Sensus verborum est: ^{id} quod per conscientiam innotescit est substantia prima non inconscia sed conscia; id quod est substantia prima conscia, recte subsumitur sub categoria^a substantiae primae, et ideo est substantia prima; neque haec subsumptio est illatio quaedam propria dicta, sed tantummodo praecisio est secundum quam ex substantia-prima-conscia per abstractionem a conscientia pervenitur ad substantiam-primam.

Probantur asserta de sensu verborum.

- a) Si aliud esset substantia prima et aliud esset subiectum psychologium, fieri non posset subsumptio vera subiecti psychologici sub categoria substantiae primae.
- b) Si vera esset illatio proprie dicta, non esset mera subsumptio. Subsumptio est termini sub termino. Illatio est ~~conclusionis~~ conclusionis ex praemissis.
- c) Quando dicitur: 'does not reveal a prime substance', idem prorsus est sensus ac paulo superius ubi dicitur 'simply a prime substance' 'John is merely revealed to himself as a prime substance' [p. 251, lin 25 ss].
- d) Tota quaestio de qua agitur in argumento est de notione conscientiae. Factum quod invocatur et supponitur est per conscientiam innotescere subjectum psychologium, non ^{subiectum} mere ontologicum, non ^{tantum} ~~mere~~ substantiam primam.
- e) Nullatenus quaestio est de datis immediatis conscientiae quasi alia immediate dantur et alia mediate concluduntur. De eo quod in conscientia datur, neque dubitatur neque disputatur, *nempe, subiectum psychologium, substantia prima conscia.*
- f) Gratuitas calumnias et insinuationes articuli apud 'Dvinitas' publicati seriatim exposui et refutavi per paginas fere triginta. Haud evitatur suspicio ~~quod~~ quod de amore veritatis non agitur quando, loco responsionis, alia et nova proponitur tergivisatio, non mihi, sed auctoritati ecclesiasticae.

Alio modo, ut tollatur distinctio inter data conscientiae immediata et eorum, quae sic dantur, formalis conceptualizatio.

Substantia prima conscia est datum immediatum conscientiae sed formare conceptus 'substantiae' et 'primae' et 'consciae' est operatio subsequens.

Intentio huius ambiguitatis.

Verissimo sensus affirmari potest substantiam primam immediate per conscientiam percipi.

Quod si authentice declaratur, deinde concluderetur

- 1) conscientiam esse perceptionem obiecti,
- 2) erroneam esse opinionem quae tenet conscientiam esse in eo consistere quod in ipso exercitio actus cognoscitivi innotescunt non solum obiectum ex parte eius quod intenditur sed etiam ipsum subiectum qua intendens et actus qu^o subiectum intendit et obiectum intenditur,
- 3) quibus stabilitis, fieri haud poterit ut ea reiiciatur sententia quae de facto subiectum psychologium excludit, quae de facto implicat Christum Dominum non conscie sed inconscie esse passum, et alia quae in articulo apud Gregorianum asseruntur et, uti videtur, refutan^e non possunt adversarii.

B. Courcy.